

pro Rupe. Quam vocem memini ex B. Hinkelmanno olim pro concione audivisse, contractam esse ex duabus: hoher Orth. Ita & constructio nunc quidem inusitata est 1. Cor. XIII. 1. seqq. und hätte der Liebe nicht.) tamen cum in concionibus subinde adhibeantur & explicentur, populo vix poterunt ignotæ manere. Tantumq; abest, ut Attentione iis impediatur, ut potius adjuvetur, apud auditorem certe non plane negligentem. Nam eo ipso, quod sunt in sermone vulgari inusitatae, eum alliciunt, ut animum reflectat ad eam materiam Biblicam, in qua hæ voces usurpantur.

2. *Proprio.* Quem itidem suppeditabunt sui cuique Oratores, speciatim Eloquentiæ sacræ studioso versio germanica Lutheri. Qui omnia, quantum potuit, perquam proprie transtulit. v. Luth. l. c. Frantz. p. 963. seqq. Ita Sermo sacer erit valde familiaris, & ad vulgi sensum atq; intelligentiam maxime accommodatus (quæ est descriptio Homiliæ ap. Ferr. de Ritu Conc. sacr. lib. 1. c. 5.) & evitabuntur voces & constructiones obscuræ. Quales sunt (1.) *inusitatae*, scil. barbaræ, peregrinæ, obsoletæ prorsus, (nam quæ in vulgari sermone non usurpantur amplius voces aut constructiones Biblicæ, non ideo in S. sermone e. gr. aut curiali, statim sunt obsoletæ) novæ, technicæ, plebejæ, Attentionem minuentes. Quæ tamen omnes etiam pro circumstantiarum ratione prudenter adhibitæ, omnino suum in Attentione habent usum. E. gr. Si cui res sit cum artificibus, illorumque vocibus technicis utatur, indubitato eos habebit attentissimos, ex Prompt. 1. §1. Class. 1. pr. (11) Si vero ejusdem artificii plane ignaris eas occineret, vanus merito haberetur, ut qui non intelligeretur. Remanebunt hoc modo Eloquentiæ e. gr. sacræ studioso voces & constructiones usitatae solæ, aut si quæ sunt rarioris usus, & Majestati sermonis divini soli propriæ.

(2) *Improprie*, præter scripturarias. Quæ omnino singulæ & universæ promovent Attentionem. Quales sunt omnes anthropopathiæ. E. gr. Jes LXV. 2. Interdum tamen etiam obscuritas attentionem promovebit, idque fiet vel ob jucunditatem; Auditoribus enim non nullis grata sunt hæc, quæ cum intellexerint, acumine suo delectantur, & gaudent, non quasi audiverint, sed quasi invenerint. Quintil. lib. 8. c. 2. p. m. 456. 457. vel ob molestiam. Si periculum sit, nisi orationi tam obscuræ acriter attendamus, fore, ut eam non intelligamus.

gamus.